

ARCHIVIO GENERALIZIO - Sezione Storica

Chierici Regolari Somaschi

n. pGB 607

Jisewj n

7 febbraio 1960



.J. Sewijn  
Loegstraat 10  
ANTWERPEN  
(BELGIE)

(Arch. Lamasca)

7.2.60

Iohanni Baptistae Pigato, Domino reverendissimo S.P.D.

Duobus tuis litteris amicitiae ac curae plenis quod non prius responsum dedi aliquantum me pudet. At, credas mihi quaeso, tot tantisque negotiis hoc tempore distringor ut omnibus, optima quamquam uxore auxiliante, sufficere vix possim. Nunc ad singula quae scripsisti redeam:

Aristidem Calderini, doctorem Mediolanensem, satis bene novi. Bis eum vidi, primum Lovanii, cum praelectionibus tribus papyrologiis studiosus etiam tum adessem, iterum Vindobonae anno 1955 in Congressu papyrologico ab omni gente convocato. Illic cum eo sociisque eius prima vice italice loqui conatus sum! Ceterum vir humanissimus ac amabilissimus esse mihi visus est. De ingentibus, quos exantlat laboribus non semel amicos, qui aliquandiu Mediolani versati sunt, loquentes audivi.

Carmen Acastis Bresciani in urbem Aquileiam si tibi parere cupis, ad auctorem civem tuum scribas. Statim tibi eum eius "Carmina agrestia civilia sacra" (S. Laurentii Novi, 1950) missurum esse credo. Litterae inscribendae sunt: Monsignore Acaste Bresciani, San Lorenzo Nuovo / Viterbo. Libellus typis expressus est a Clemente Ceccarelli, Grotte di Castro (Viterbo). 85 paginas complectitur, carmina XL.

De iis causis per cessationem opificum socialistorum nuper Antverpiae, Bruxellis, Caroloregii aliisque in urbibus belgicis acciderunt, tranquillo sis animo. Quid enim factum est? Hoc tempore Belgium regimine christiano-liberali gubernatur, quod socialisticoliberali duobus annis ante successit. Opificum consociationes tres sunt: christiana, socialistica vel rubra, liberalis. Ut apud nostrates mos est, statis temporibus factio politica, quae regiminis particeps non est, consociationem opificum suam ad cessationem tumultuariam incitat. Paucis diebus ante igitur socialistarum factio "cessationem generalem" pronuntiavit ut regimen ad "colloquium socialo-oconomicum" convocandum cogeret. Quid autem factum est? Hucusque, si rubri cessationem fieri iubebant christiani etiam et liberales, etsi numero crebriores at minus insolentes, metu molestiarum domi manserunt. Nunc vero aliter evenit. Quin etiam multi opifices socialistae, vana esse causae a regimine poscebentur iudicantes, opere non cessaverunt. Quibus visis cessationis auctores ita sunt irati ut perditos quosdam cives in ceteros excitare conati essent. Qui hic illic autorae-das cutrusque transviarios destruerunt vel afflicerunt. Stationem vero Antverpiensem nunquam occupaverunt - salvis eo die Lovanium comaeavi - sed in stationis thermopolium irrumpere conati sunt unde mox expellebantur. Ceterum in Flandria haec dies valde placida fuit, in Vallonia, regione satis rubra, magis turbata. Bruxellis studiosi universitatis "liberae" (intellige: communisticae), ut eis mos est, omnia perturbare tentantes, nonnullarum tabernarum vitra confregerunt.

Iterum tibi has litteras via aerea misi, quia cursus publicus noster rogat ut litteris extra fines Belgii mittendis charta quam levissima utamur. Eodem autem pretio litterae per Europam aeronavi vel tramina feruntur. Vale!

Scrpsi Antverpiae, die 7a februarii 1960.

observantissimus tui